



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

IX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

rent errores quos cecinerunt, & linguas & calami
 & eloquentia suæ arma, ad hæresis sui exterminium
 conuertant. Imitentur S. Augustinum suos prius in
 pugnantem Manicheos, adiciant animos ad robo-
 randam doctrinam Catholicam, ad reducendos
 seduxerunt, aut quod par est, alios æqua permun-
 ne in locum ipsorum Deus nobis gratiam illa-
 ciat, vt sic omnes conuertamur.

CONCIO NONA.

- Græca. 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἔλθὼν εἶπε.
- Vulgata. 7. In se autem reuersus, dixit.
- Syriaca. 7. Quumq; ad se redisset, ait.

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie.
- 1. Hominem esse admodum in negotiis inconstantem, maxime in rebus saluis.
 - 2. Totum mundum in duas diuidi ciuitates admodum diuersas.
 - 3. Quod homo partes & Principem sapet.

AVE

I.

Hominem esse admodum in negotiis inconstantem,
 maxime in rebus saluis.



Alludit Au-
 tor hoc ver-
 si ad illum
 Tibulli lib.

I. Eleg. 4. so-
 lis æterna
 est Phæbo,
 Bacchoque
 iuuenta.

V M mille inter Deum & homines
 discrimina sint, Auditores, præcipuū
 tamen mihi esse videtur essentia &
 voluntatis ipsorum constantia atque
 inconstantia. Deus enim secundum
 esse & velle, suum semper idem ma-
 net, æque viuudus, æque vegetus, æque fortis,
 que prudens; nihil patiens, nec crescens, nec decres-
 scens. Ego Deus (inquit per Prophetam) & non mutabor
 inmortali florens æternaque iuuenta. Consilium meum
 stabit, & omnis voluntas mea fiet.

Hon

Homo contra aut ipsa est inconstantia, aut ipsa pernicacia & obstinatio. In perpetua mutatione tam patens quaedam independentia à libero arbitrio, quam agens ex libertate voluntatis. Patiens non libere quantum ad corpus, & dona animæ, & quantum ad bona quæ veteres appellarunt fortunæ: nunquam sibi similis, vnum perdurat diem. *Homo nunquam in eodem statu permanet* dicit Iob: à iuventute transit ad senium, à firmitudine ad infirmitatem: iam solidus, iam arundine fragilio: iam sanus, paulo post æger, modo viuus, & ilico mortuus; iam diues, iam Rex, & euestigio pauper, & seruus; momentum temporis inter folium & aliena genua.

*Ludit in humanis Diuina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Voluitur semper fortunæ rota,*

Ouid. 4. de Ponto.

Irus & est subito qui modo Cræsus erat.

Ad tantam redactus inopiam, vt seipsum in rogo pyroque ligatum à victore suo Cyro conspexerit. Bellius primum sub Iustiniano Imperatore summus militum Dux, cæcus stipem publicè à transeuntibus mendicauit. Heri Valeriani, Romanorum Cæsares; Heri Baiazetes, Turcarum Imperatores; hodie collem dorsumque inclinant, vt ascensuris in equum victoribus scalam faciant, Baiazetes Tamarlano magno Tartarorum Regi, Valerianus Sapor Persarum Imperatori. O rerum humanarum inconstantiam! Sed excusabitis quod hæc voluntaria non sint, & consequenter nec vituperium mereantur, nisi in quantum primi parentis peccata & nostra propria, ad hoc præcipitarunt. Hoc equidem volebam: sed monstrabo hominem in rebus sibi liberis multo etiam mutabiliorem. Nonne hodie bonus, cras nequam; mane lupus rapiens, vesperi omnia rursum quæ ceperat profundens? *Beniamin lupus rapax mane rapit prædam; vesperi diuidet spolia.* Modo affirmant, modo negant. Heri tibi amicus quam posset fidus maxime, hodie tibi infestus magis quam lupus agnoscitur, magis perfidus quam Pænus Romano, &, *ipsis mendacior*

Genes. 49.

S. Iust. orat. in Cicer.

dacior Parthis. Nunc his fauens, nunc illis, vtrique
 lenissimus transfuga. Aliud stans, aliud sedens de
 publica cogitat. Amans te, non ut osurum, sed ut
 ipse. Et cum contractam soluit amicitiam, non
 diluit paulatim, & filatim quasi, sed totam vnica
 distumpit, ac intercidit. Hodie diruit, noua
 que superædificat; paulo post nouas fabricas deu
 cuertit.

Genes.

Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Laba
 die daturus est cognato suo Iacob pro salario omni
 foetus varios & maculosos, cras retinere volet, & mu
 tabit mercedem pastori suo septem vicibus.

Quod placuit spernit, repetit, quod nuper omisit.

Eccl. 27.

Qui talis est in œconomia ac politia, multo etiam
 instabilior est in conscientia & anima. Stultus ut Lu
 na mutatur. Versatilior Protheo, vt in omnem formã
 transeat: instabilior Euripo, septies de die æstuant.

Prov. 24.

Septies cadet iustus & resurget. Quid hoc: nisi recipi
 care, fluere, & refluere, descendere & ascendere, decies
 & quater vno die; septies velle malum, septies quoti
 die velle oppositum; labi ac relabi centies momento
 tēporis, ac semper in omnem venum cum cothurno
 versari, vel cum arūdine ad omnē inclinari statum; iã
 huc iam illuc, aut cum hyenis & leporibus mutare
 (vt aiunt Naturales) sexum, iam masculū iam fœmi
 neum, vel vt virga quam Moses nunc virgam, nunc
 serpentem, nūc iterum virgam videbar. Omnis, omni
 homo mendax: nihil in homine statum. Vana salu
 minis: Nolite considerare in Principibus, in filiis hominum in
 quibus non est salus. Non intellectus ipsi constans, vt
 varia ipsius demonstrant iudicia, palinodia, retracta
 tiones, non semper adeo bonæ ac sinceræ quã S. Au
 gustini, Non volūtas stabilis; vt videre est in varietate
 affectuum. Non in religione firmus, clamant hoc a
 postasia ad prætensam religionem reformatã, cursus,
 recursus denuo ad Ecclesiã Catholicã. Miror quomo
 do tam cito transferimini in aliud Euangelium, quod non
 est aliud. Hoc toties nouatę Augustanę confessiones,
 tot saltus de fide in fidem Quis fidibus multis ludis

Exod.

Psal.

Psal.

Non semper in moribus idem. Quem enim in Natiuitate aut Paschate videmus contritum, confesum, deliberate resoluisse nunquam iterum peccatum succumbere, ecce necdum venit Innocentium festum, & ipse iam perdidit innocentiam; nec Dominica Albis adhuc illuxit, & ipse iam albam quam in Paschate poenitens resumpsit tunicam, iterum commaculauit, & (vt nostrum habet prouerbium) Deum in Galileam remisit. Nonne magna hæc inconstantia: Dauid hanc in se sensit & deplorauit. *Ego dixi in Psal. 29.*
Abundantia mea non mouebor in aeternum. Domine in uoluntate tua prestitisti decori meo uirtutem. Auertisti faciem meam, & factus sum conturbatus.

S. Petrus quid? Audiuitis ipsum die Iouis sanctum offerentem se ad omnia; corpus dare excarnificandum & excoriandum antequam fidem falleret, negaretque magistrum, sed post paulo, quam primum manus iniecta est Domino, coniecit se in pedes S. Petrus: reuersus postmodum ad palatium Pontificis, cum mulierculæ ipsum adegerunt ad negandum, pernegandum, detestandum, execrandum quod non nossem magistrum. Hoc modò, dilectissimi, etiam in nostro videmus Prodigio. Nam ecce qui antea nihil præter patrem oderat, qui malebat seruire foris, quam in paternis adibus bene se gerere, nullius modo rei æque pertæsus est, atque externi domini, & nihil æque anhelat atque bonum suum parentem. Antea nihil nisi carnis sectabatur voluptates, iam nihil nisi illas odit. Antea ita adulabatur sibi, vt quicquid ageret recte opinabatur factum, iustificans sua opera, ac putores suos aromata putans ac suaueolentias, iam nemini æque ac sibi displicet, nullius actiones æque grauius atque suas incusat. *Ecce in se, contra se, aduersum se reuersus*, bellum venit mouere sibi & iniquitati. Ecce ipse inconstantiam; sed in tali re optimam, ac laudabilem: *Hæc mutatio dextera excelsi.* Et sicut plerumque desertores multo pugnant furiosius contra partes quas ante sequebantur, & multo animosius

sius partem nouam propugnant quam alias impu-
 gnauerant, adeo vt nulli fere fideiores & constantio-
 res inueniantur in exercitu. Testimonio est Achito-
 phel, qui pro Absolone contra Dauidem tantum o-
 filiis suis egit. Testimonio quidam Curio, qui cum
 Iulio Cæsare iuratus fuisset hostis, mutata voluntate
 ac partibus, corruptus auro quod Cæsar ei dona-
 rat ad soluenda quæ contraxerat debita, inter primos
 postea fuit defensores Cæsaris. Nā, vt refert Seruius
 vendidit ipsi Romanam ciuitatem viginti sex scuto-
 rum aureorum millibus. Sic & noster Prodigus bel-
 lum offensiuum infert Satanæ, vitiis, peccatis, sen-
 sualitatibus, & carni suæ. Defensiuum pro Deo suo,
 pro legibus, virtutibus, pro spiritu, & recta ratione:
 multo fortius quam plerique, qui nunquam vt ipse
 in castris aduersis militauerant. Quam hostiliter car-
 nem ab ipso putatis tractatam? Non opinamini illi
 tanquam inimico subtractam annonam, vt ieiunius,
 & abstinentia compelleretur dedere se rationi? Opi-
 namini vincula ipsi rigidissima defuisse? & non po-
 tius tanquam capitalem hostem, funibus reuinctam,
 ad reparationem præteritarum dissolutionum? An
 oblitum putatis flagris ac fustigationibus, ob priores
 stultitias, castigare inimicam? Non creditis totam
 ipsius curam circa hoc versatam, vt fracta laboribus,
 subruta, subfossa, eneruis ac debilior, spiritui seruiet
 victori: *Cum infirmior tunc fortis sum.* Summa Summa-
 rum; totus sibi incubuit, omnem belli vitam in se trans-
 tulit, homo interior in exteriorem, spiritus in car-
 nem, ratio in sensum, donec se vidit totum mutatum
 mutatum in alium, totum, totum iustificatum. *Cum-
 etis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat im-
 mutatio mea.*

Job.

Job.

Psal. 50.

Nihil deplorans, nihil detestans æque, quam quod
 male consultus, arma in Deum tulisset. *Quare posuisti
 me contrarium tibi? Peccatum meum contra me, &c.*

Actor.] *Durum, contra stimulum calcitrare.*

Sallust. de bello Jugartino.] *Frustra niti, neq; aliud
 se fatigando, nisi odium quarere, extrema dementia est.*

II.

*Totum mundum diuidi in duas ciuitates,
admodum diuersas.*

Videte igitur nostrum Prodigum aliarum partiū militem, ciuem, & incolam alterius Reipub. vassallum alterius Principis. Nam transmigratio ad hanc partem, ad hanc ciuitatem, ad hunc Principem, nouū plane postulat agendi modum: *Alieno nunc more viuendum. Si fueris Roma, Romano viuito more. Velle suum cuiq;. Vnusquisq; in sensu suo abundat. Hac dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.*

Terent. in
And. Act. 1.
Scen. 2.

Dux hæ Ciuitates, vna Dei, altera Diaboli, non tantum differunt dominis, quorum bonus alter, alter malus, nec solum fundatoribus; ciuitas enim Dei à Theophilia, aut Dei amore, & contemptu sui ædificata est, Diaboli autem erecta à Philautia, & sui amore, ac contemptu Dei; sed & habitatorum numero. Nam Dei ciuitas etsi amplissima & capacissima, paucis tamen constat ciuibus, & pene videtur deserta. *Ciuitas magna, magna solitudo: quia angusta est via, qua ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam.*

Ciuitas Diaboli exuberat populis tanquam aliqua Babylon: nam post Adami lapsum, omnes eius nascimur ciues. *Omnes nascimur filij iræ.* Et quamuis Baptismo in ciuitatem Dei sumus adscripti, quot inueniuntur qui ad peccata dimissa recurrunt, & centies retracti per pœnitentiam, centies iterum nouis peccatis transmigrant. *Lata est via perditionis, & multi ambulant per eam.* Via perditionis ciuitas est Diaboli, & quia laxa est, multi eam sequuntur. O Deus meus, quoties & ego & vos, post baptismum, post infelicem illam ciuitatem repudiatam, per serium *Abrenuntio*, & post tot absolutiones sacramentales, post tot pœnitentias, quoties turpiter transfugimus. Quoties relicta Dei Ciuitate, ad Ciuitatem Diaboli reuertimur? O quoties, si iuxta militarem (qualis apud homines est) tractaremur disciplinam, acti fuissetus in crucem? Non mutant tantum eorundem castrorum

rum Duces, sed sepe etiã aduersis partibus seruientes.
Differunt etiam ciuitates hæ exercitiis & opificiis.
In Dei enim ciuitate hæ artes sunt, hæc exercitia.

* 1. Amare Deum, contemnere seipsum.

* 2. Amare proximum sicut seipsum.

* 3. Ferre crucem, ieiunare, seipsum mortificare, confiteri peccata, ignoscere inimicis, orare pro iis, ac ipsis benefacere. Sapientia iustorum est nihil per ostensionem fingere, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuria ultionem querere, pro veritate contumeliã lucrum putare: inquit S. Gregorius. In Diaboli ciuitate, hæ sunt artes, hæc exercitia.

D. Greg. lib.

10. mor. cap.

16. in c. 12.

Iob.

* 1. Deum spernere, se nimium amare. Fons omnis peccati (vt inquit Plato) & contrarium peccatorum remediis: quia quilibet sic constitutus facile sibi ignoscit, & se honore digniorem iudicat, quam reuera sit.

Plato sup. de legib.

* 2. Alta spirare, inordinatis amoribus ardere, & nihil meditari quam auaritiam. Omne quod est in mundo, inquit S. Iohannes, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, qua non est ex patre, sed ex mundo est.

1. Ioan. 2.

* 3. Elicere omnes virtutes, recipere vitia.

* 4. Excusare semper peccata sua. Non declines cor meum, in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis.

Psal. 140.

* 5. Eadẽ publicare, ac gloriari, tam de iis quæ feceris, quã de eis quæ non feceris. Peior illis, qui se primi parentis peccato excusant: omnis enim vel iusta, vel iniqua excusatio, testimonium dat aliquem adhuc esse peccati pudorem: peior etiam aliquibus brutis, quæ quum alium exonerarint, sordes suas operiunt, terram in icientes vnguib. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Peccatum suum sicut Sodomam predicauerunt.

D. August.

lib. Confess.

Certe S. Augustinus de se fatetur quod ante conuersionem, inter petulantiores iuuenes, cum quilibet de malegestis gloriaretur, ipse etiam iactauerit, ne eis videretur melior, fecisse quæ non fecerat: inter tales enim pessimus est, qui nocuerit minus, & ab huius

mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Dicit S. Gregor. Laudatur peccator in desideriis anima sua, & iniquus benedicitur. Psal.

* 6. Habere libertatem quidlibet agendi, & vivere ad libitum. Ut fere apud plerosque hæreticos. Corcyra libera est, caca ubi libet.

D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 16 in c. 12. Iob.] Huius mundi malitia est, cor machinationib. tegere, sensum verbis velare, qua falsa sunt vera ostendere, qua vera sunt, falsa demonstrare. Hæc sibi obsequentibus præcipi honorum culmina querere, adepti temporalis gloria vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere cum vires suppetunt: nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

* 7. In summa, facere quicquid carni libitum, nihil aut parum quod spiritui. Venite, & fruamur bonis Sapi. 2. qua sunt, & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus: non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum præteritum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuria nostra: ubi quæ relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est fors. Hoc est quod quærimus dicunt illi, edamus & bibamus, cras enim moriemur. Et me mortuo, equo mortuo, mortua omnia, dicunt Athei & Epicurei. Commoda lex viuentibus, mala morientibus, dicebat quidam, loquens de Caluinismo.

* 8. Paruulos adigere ad iurandum contra Deum bellum: quasi ab incunabilis, sicut Amilcar Hannibalem filium suum nouennem, ad altare iurare compulit, bello Romanos vlcisci, cum primum foret armis idoneus. Virgil. 4. Æneid.

Tum vos (ô Tyri) stirpem & genus omne futurum (piorum & Catholicorum sc.)

Exercete odium, cinerique hæc mittite nostro

Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunt.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vliet,

Qui face Dardanio ferrogæ sequare colonos,

*Nunc, olim, quocumq; dabunt se tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor: arma armis pugnent, ipsiq; nepotes.*

Reuera Martinus Lutherus se Papæ & Romanæ Ecclesię professus hostē, minabatur. *Mortuus bis hosti ero.* Adeo vt de ciuitatis illius ciuibus iure dici possit, quod alibi de Iudæis dixerunt iniuria, qui reparationem Hierosolymæ, & subuersorū mœnium reedificationem conabantur impedire, *vrbs illa rebellis est, & nocens Regibus & Prouinciis, vt bella concitantur in ea ex diebus antiquis.*

1. Esdr. 4.

2. Machab. 14.

Assidei Iudeorum bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnum esse quietum.

Non magis quam olim Carthago Romam dimittit tranquillam ac Lacedæmon Athenas.

Ecce tibi artes ac opificia Ciuitatis aduersus Deū rebellis, sub Satanæ Tyrannide. Deus bone! quæ inter duas has ciuitates, ac ciues est differentia? Quare recte dicimus Prodigium vt declararet se reuera partes ac ciuitatem mutasse, omnem operam dedisse vt antiquas consuetudines, moresque deponeret, quos in Diaboli ciuitate didicerat: & quam maxime animum vt naturam & ciuitatis Dei bonos mores indueret.

Virg. 2. Æn.

Quisquis es, omisso nunc iam obliuiscere Graios. Consuetum enim est aduenis, & ad alia castra transeuntibus militibus, accommodare se statim iis quibus adsunt, & locorum consuetudines moresque sumere quos inueniūt, dimittere antiquos, propriosque, & nouis multo seruire diligentius, tum vt monstrent quod reuera partes mutauerint, ac sic tandem ad dignitates vrbis, aut militares coronas, quasi indigenti promoueantur, aut saltem vt habeantur fideles. Latini id appellant *se se venditare*. Quomodo autem *se se venditant Casari* (ait Cicero ad Atticum) id est in clientelam Casari dedunt se & ancillariter seruiunt.

III.

Quod homo partes & Principem saepe mutet.

Dici

Dei non potest quam homo sit varius, quoties studia mansionemque mutet. Nunc Dei, nunc Diaboli ciuis, nunc hic nunc istic Adam; & nos in illo, diuinæ ciuitatis ciues creati sumus: sed quid? continuo facti sumus (sex horis vt aiūt post creationem) ciues Diaboli, & deinde omnes ciues nascimur maledictæ ac diabolicæ ciuitatis, per peccatum Originale. *Omnes nascimur filij iræ: Ecce enim in iniquitatis uis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Deinde per baptismum & gratiam Christi à Diaboli ciuitate, ad ciuitatem Dei plerique transfugimus, per magnum *Abrenuntio*. Ac ibi tam sumus accepti, vt non aduenæ sed genuini habeamur, *Iam non estis hospites & Aduena, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.*

Olea 2.] *Dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.*

Sed videte inconstantiam hominis, liberique arbitrij. Vix attingimus rationis vsum; nonum, septimum, quintum annum, plus minus, ac nutamus statim mortaliterque offendentes Deum, rursus diffugimus ad ciuitatem Diaboli: inde rursus per pœnitentiam ad ciuitatem Dei, & hoc *toties quoties* peccamus mortaliter, & iterum per congruam pœnitentiam resurgimus. O admirabilem Dei bonitatem! quæ toties portas, toties brachia transfugis aperit, ac toties nomina nostra de nouo registrat ac inscribit aureo prædestinationis libro, secundum iustitiam præsentem, toties delet, eraditque, toties describit ad ipsorum beneplacitum. O si ciues ac milites terrenorum essemus Regum, ac toties claudicarem in partium fide, quoties penderemus ex arbore, si tot haberemus animas! O quoties, quoties, & vos & ego apostatauimus? stationem post baptismum deseruimus? quoties post primam pœnitentiam & confessionem? *Septies cadet iustus & resurget.* Si quælibet nostra fuga *Proue 16. 24.* seculari disciplinæ militaris rigore plecteretur, vix cordigeris corde, vix syluis cruces superessent. Si suspenderemur toties quoties transfugimus, ac toties *teuiisceremus*, vix miser cordigeri funes inuenire-

mus ad cingula, toties quilibet in statu suo labimur.

Duo tamen, partes mutantium genera sunt, quorum illi qui sic mutant vt Prodigus sunt meliores. Peiores illi qui per pulchrum vitæ initium, ciuitatem Dei habitant, & multo satis tempore partes eius sectantur, sed eheu tandem turpiter in Diaboli ciuitate se dant, ac totam priorem deponunt vitam: spiritum, qui regnare solebat, compingunt in seruitutem; sensualitatem, & externum hominem, ad regnū euehunt qui seruire & ancillari consueuerat. Veri Achitopheles, Dauidi pro tempore fideles, infideles postea seruique Absolon, donec vtrique ex laqueo pendeāt. Tales fuerunt Neronies inter Romanos. Tales Saules, & Salomones, inter Reges Israel. Nero enim hic illic legitur, primis quinque imperij annis, non tantū fuisse tolerabilis; sed omnium aliorū laudes superasse. Traianus

Sext. Augustinus dicere solebat *Procul distare cunctos Principes, a priore Victorino Neronis quinquennio*, vt, cum vobis ac orbis deliciae appellari poterit, & (ablato paganismo) bonus ciuis ciuitatis Dei. Subsequentibus vero nouem annis, ita omnibus opertus est flagitiis, maxime impudicia & crudelitate, primus Imperatorū qui ausus fuit arma

Eusebius Cæsariensis imperatis in Deū expedire. Vt per infamiam propriū ipsius nomen, factum sit appellatiuum, & crudeles omnes appellentur Neronies, & qui in eo genere excellunt *Nerone Nerones*. Mortuus denique, in seuersus, contra se reuersus, sibi ipsi totus contrarius, & factus ex Dei ciue ciuis Diaboli, iure ac priuilegiis ciuium ipsius, in inferno perpetuum iam gaudet. Saul & Salomon quid? Saul multo tempore ciuis fuit Dei; bonus & optimus sub patris disciplina constitutus, tantum alios virtute superans, quantum corpore. Erat ei filius, vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir defiliis Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.

1. Reg. 9.

1. Reg. 13.

In regno suo ad duos circiter annos adeo integre adeo innocenter egit, vt puer vnus anni in scripturis nuncuperur. *Filius vnus anni erat Saul, cum regnare cepit, & ubi Chaldaus paraphrastes ait, fuisse virum innocen-*

citem, ob id vocari filium. Saul sicut puer unius anni erat, in quo nulla sunt peccata, quum regnare cepit. Hunc sequitur Doctores, ait Vatablus: quod est contra Castalionem persistentem locum corruptum, & agi de aetate qua regnum inierit Saul, nihilq; memorantem de prima Saulis innocentia.)

Sed non permansit in bonitate (mutatus enim mores, sed rarius in meliores.) Duobus tantum annis probe rexit, cuius ciuitatis Dei, Duobus annis regnavit super Israel dicit Scriptura. Quomodo duobus annis inquires? cum in Actis Apostolorum legatur regnasse annis quadraginta, & Iosephus sub fin. lib. 6. referat sedisse octo annis viuo Samuele, & Samuele mortuo duobus adhuc & viginti annis. Respondeo diuersimode. Primo. Ipsum tantum duobus regnasse annis, quia solum tam diu gauisus est dignitate regia, qua exutus est ad annum secundum. In Actis autem Apostolorum dicitur regnasse 40 annis, & à Iosepho 30. Quia etsi dignitate regia spoliatus esset, cum pluribus tamen annis actualis Reipublicæ administratio penes ipsum erat. Vt sic respondeam, doctus mihi author est Vatablus. Secundo. Dicitur esse sedisse duobus annis, vt significaretur annis sequentibus non Rex, sed Tyrannus fuisse. Quam cito ex ciue Dei factus ciuis Diaboli? inobediens cõstitutionibus & mandatis Dei, datis per Samuelem, inuidus & æmulus publicæ gloriæ Dauidis, homicida aliquoties Dauidis per cõsensum, reuera autem etiã patricida Sacerdotũ in Nobe, desperas, sui ipsius interfecto, & quis nouit saluus sit nec ne. Damnatus, quantum videtur, propter desperationem, & voluntariã necem; nisi forte in vltimo spiritu animam exhalans, quod possibile est, corã Deo pænituerit. Salomon etiam nonne pro tẽpore, tenellus adhuc, iuuenisq; egregius Dei ciuis, inimicus diuitiis, ne earũ occasione Dei obliuisceretur; inimicus exactionib. quas ne grauaret, à Deo petebat victui necessaria, inimicus omnis iniustitiæ: quæ enim ignorat æquissimã sententiã, & ius dictũ inter duas meretrices, inter alios de successione cõcertantes? fidissimus executor paterni testamenti, puniens

Vatabl. annot. 1. in 6.

13. Reg.

Castalion annotat. in cap. 13. Reg.

Actor. 13.

Vatabl. annot. 2. in 6.

13. 1. Reg.

Ioab sicarium & homicidam Amasæ, & Abner, principum militiæ, circumscribens Semei maledicum, vicem reddens filiis Bersellai, qui fidelis fuerat Dauid, cum omnes essent infidi? Princeps religiosissimus, fundator Augustissimi templi, quod septem mundi superat miracula. Salomon pro tempore tam ledi ciuitatis Dei ciuis, vt optime præfigurauerit ac representauerit Messæ futuri personam. Sed eheu *Inferuersus*, totus alius, totus sibi contrarius, factus est ciuis diaboli, mulieres amans, tam natione quam religione exteras. Contra Dei mandatum alens in suo gynecæo, nimium & pene incredibilem scaminarum numerum, 700. reginas, & 300. concubinas, vt Persæ olim, & modo Turcæ (cum Dauid pater eius 2. Regum 3. sex tantum habuisse perhibeatur, nec permisum fuerit, vt dicunt Hebræi, Regibus septenarium numerum excedere.) Item nimis stulte amans genus istud Amasiarum, quarum singulis permittebat templa & fana erigere idolis quæ adorabant. *Omnium gentium seruebat erroribus.* Totum ipsius regnum vnum videbatur idololatriæ templum, fanis ita vbi-que exædificatis, vt si confunderentur, de eis dicas,

Vide Vatabl. annot. 5. ad cap. II. lib. 3. Reg.

D. Leo de Roma vet.

3. Reg. 12.

Roma domus fiet. Denique vt impendia subministraret suis mulierculis, ac idololatriæ; exactionibus vexabat populum, oneribus inusitatis, adeoque intolerabilibus, vt eo mortuo populus de grauamine vehementissime conquereretur, supplicans à successore filio moderationem aliquantulam, qui stulto collataneorum Principum ac iuuenum consilio, nihil imminuere volens à paternis vectigalibus, sed augere illa etiam comminatus, ex 12. prouinciis vna defectione 10. perdidit: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.*

Plorabat plebecula vix trahens animum; pulchrū speculum nostris regibus. In summa miserum est acta eius legere, descripta fere 3. Regum cap. 10. & in ipsius Ecclesiaste: ac ita Diabolica ciuitatis ciuis vixit, totus

tus à se & ciuitate Dei alienus, vt maior Catholico-
rum DD. pars nesciat quid de statu eius statuat. *De-*
scendit ad inferos (dici posset) vt Iesus Christus quem
præfigurabat; sed dicere nemo vt certum audeat, *A-*
scendit ad calos sedet ad dexteram Dei Patris omnipotētis,
vt de Christo Iesu dicimus & credimus. Tales muta-
tores neutiquam probo, & ideo talem cōmutationē
tanquam impiam & deplorandam, quilibet bono
iure deresteretur; dicens: *Quare posuisti me contrarium ti-* *Iob 7.*
bi, & factus sum mihi met ipsi grauis? Cur non tollis pecca-
rum meum, & quare non auferes iniquitatem meam? Sed
iuuenitur etiam aliud mutantium genus, non qui-
dem optimorum; (optimi enim sunt qui post baptis-
mum, quo ciues & indigenæ ciuitatis Dei facti sunt,
Deum nunquam mortaliter offendunt, rari vt Sol, vt
Phoenix, vt monoceros) eorum scilicet qui primis
meliores, vitam in iuuentute lasciuam, cum nostro
Prodigo transigunt, ideoque Diabolicæ ciuitatis ci-
ues fiunt; sed per Dei gratiam veram faciunt pœni-
tentiam, ac per eam se ciues stabiles, ac perpetuos di-
uinæ ciuitatis efficiunt.

Cicero in Catil. *Multos vidimus & audiuius, cum*
totam adolescentiã voluptatibus dedidissent; se ad frugem
bonam receperisse, hominesq; graues fuisse.

Transeo Paganos (quia defectu fidei non viden-
tur inter ciues Dei numerari, quantumcunque mo-
res in melius conuertant) qualis Themistocles, qui
ita iuuentutem in Diaboli ciuitate transegit, ac ita
vixit, vt eum bonis omnibus exhæredaret pater, ma-
ter tædio se strangularet, tandem tamen *in se, & ad-*
uersum se reuersus, factus sibi contrarius, seruauit pa-
triam, stravit Xerxis iurati hostis exercitum, nec pa-
rem in tota habuit Græcia: nam *quis clarior in Græcia*
Themistocle, ait Cicero. Qualis & Scipio Africanus,
iuuentutis parum probatæ; tandem tamen vir opti-
mus, baculus senectutis Romanæ, fulcrum patriæ,
quam decrepitam, lassam, & longis bellis exhau-
stam fulsit. Transeo illos. Omnino tamen Regem *4. Reg. 21.*
Manasse præterire non possum; qui ex Prophetarū
K 5 carni-

*Acter. 9.**Possidonius
in eius vi-
sa.**Iob.**Salu. Orat.
in Cic.*

carnifice, *in se reuersus*, ac sibi factus contrarius, re-
 staurator factus est & protector honoris diuini. Et S.
 Paulum; qui vt leo in nuperos ouilis Christi agnellos,
 quasi leo insidiator caularum irruit. *Spiritus minor*
Et cadis in d. scipulos domini in se reuersus factus est
 eiusdem gregis, redactus in ordinem diuinae ciui-
 tatis, & bellum bellauit contra synagogam & Sa-
 nam strenuissimè. *Saulus autem multo magis conuale-*
bat, & confundebat Iudaos; Nec S. Augustinum; qui
 iuuenili luxu, & Manichæorum hæresi, *in se reuersus*,
 ad mirabilem transit castitatem, & ita fidem propu-
 gnauit Catholicam, vt (teste Possidonio) *hæreticos*
nullo passus sit loco consistere. Vere malleus & flagel-
 lum hæreticorum. Hi transfugæ, & partium delec-
 tores mihi perplacent. Nam de malo ad bonum
 transeunt. Nec solum Apostata & desertores sunt
 partium malarum, & sectatores partis melioris,
 (quod solum dicit vox Græca *Ἀποστασις*, & Latina *de-*
fectio) sed defensores etiam nouarum partium, & pri-
 marum impugnatores: quod indicaret Latina vox,
rebellio, & *in se*, vel *contra se reuersus* de nostro Prodi-
 go. Difficilius denique est in senectute bene agere,
 post malas improbæ iuuentutis cōsuetudines, quam
 malum facere cum quis consueuerit agere bene. Ah
 anima, anima mea! quando tandem vereeris aposta-
 ta, & desertrix ciuitatis Diabolicae, & ciuis ciuitatis
 Diuinae? nunquamne? quando tandem firmiter parti-
 bus illis adhereris. *Cunctis diebus quibus nunc mihi*
expecto donec veniat immutatio mea. Spero & expecto
 inuouationem integram; & venit tantum dimidia
 iam Dei partibus seruiō, per pœnitentiam; iam noua
 istius pœnitentiæ pœnitentia rursus dilabor alio.
 Partibus modo his modo illis addictus varius, nescio
 quam diu. *Homo leuissimus simplex inimicis, amicis cōu-*
meliosus; modo harum, modo illarum partium, nemini fi-
dus. Ah! quantum massam, pastamq; communem, ex
 qua compactus sum, sentio? *Omnis homo mendax, va-*
rius & mutabilis, mutabilior metra Erisictionis: maxime
 indoles impiæ, quæ vt Luna mutantur. *Sidera errantia,*
 nubes

nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur. Iudæi.

Michael Volat. lib. 28. comment. tit. de stultitia.]
Platoni, stulti Proteo similes sunt; ille corpus, hi animum
sepe mutant.

V. Beda lib. 3. c. 38. in Marc. 9.] *Hi nunquam in eodem permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia, mutati, crescunt.* Ah! quam male anima mea, creatura tam nobilis, & rationalis, Deo tuo minus constans, minus fida es, quam bestię canesque domestici dominis suis: *Cognouit Bos possessorem suum & Asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit.* Canis dominum *Isai.* suum, et si pauperem, non deserit, nec sequitur ditio-rem; sed pessime etiam habitus, pro domino suo semper excubat; & homo Deum deserit, fontem inexhaustum omnis boni? Nemo adeo mendicus est, ne ipse quidem Codrus, cui canis suus, Chiron dictus, fidus non fuerit: nunquam enim ipsum deseruit. Tobias canis toto itinere ipsum secutus est, non minus fideliter quam Raphael Angelus. Non tantum valet rauula, nec sal cokusus, nec panis aut caseus sub accellis foris, ad mendicandum canibus obiectum, quo nos sequantur, quo fidelissime semper nostris inhaereant vestigiis, quantum recordatio beneficiorum, quod nutrantur semper à dominis; naturæque instinctus, qui dicitur ipsis quod nati sint ut dominis suis à pedibus seruiant, & excubiis. Si forte herum suum mutet, hoc non fit nisi fraudibus, illectamentis & incantationibus, aut violentia, qua furtim auferuntur, aut infortunio, quod casu herum perdidit, aut quod alteri donati sint, aut quod nimium obstinate multis sustib. à dominis suis abigantur: aut nonnunquam ad præsa-
gum notabile mutationis rerum. Sic aiunt canes in campo, desertis dominis, confugere ad hostem eumque sequi quem sentiunt & prælagiunt fore victorem. Narrabo hic exemplum ex Froissardo, de cane qui dominum suum relinques, prælagiuit eum qui erat successurus in regno. Richardus Rex (refert Froissart) canem venaticum habuit, nomine Mathlôge pulcherrimum, qui neminem nisi solum recognoscebat Regem, & vinculis à custode dimisso

dimisso ad equitaturum statim accurrens, afflicto
& blandiebatur Regi, & anteriores pedes in humeros ipsi iniiciebat. Accidit ut Rege & Comite de Erby simul colloquentibus in castri atrio, equis iam ornatis ad iter, canis quas solet Regi exhibere exultationes, omisso Rege procurreret ad Comitem de Erby, eique ita adularetur ut consueuerat domino, insiliens pedibus in collum, & admodum felicitate circumcursans. Comes de Erby, qui venaticum istud non nouerat, quaesivit ex Rege quid sibi uellet canis Cognate (inquit Rex) signum hoc tibi valde prosperum, mihi aduersum. Vnde hoc (inquit Comes) susciparis? Intelligo (ait) quod canis hic hodie tibi adhibetur, & colat te ut Regem Angliae: si enim & deponar ego, & hoc naturaliter canis hic sentit. Aduerte, te sequetur, me fugiet. Comes de Erby, his auditis bene accepit canem, qui exinde nunquam Richardum Burdegalensem, sed semper secutus est Comitem de Erby Ducem de Lanclastre. Credo equidem haec: nunquam inueniemus canem nec raptum, nec donatum, nec abactum, nec perditum, nec talia portendentem, nec in campo ad victores transfugientem, tam

Vide Iacob turpiter ac improbe ab heris suis deficere, ut nos
Spieg. in Le. transfugae & desertores a Deo: quem, cum deseru-
xico Iuris mus, vel per infidelitatem (sicut Iulianus Apostata)
Ciuilis tit. vel per uitae improbitatem, contra professionem, &
Apostata. Satanae abiurationem in baptismo factam, trans-
Ouid. lib. 3. tes ad Paganismum, aut Iudaismum, aut ad mundi
Metam. & carnisque seruitia, ac tandem ad uitam magis barba-
in Ibin Qui ram, & Turcicam, quam Christianam. Nam excipe
dam in ex- solum fabulosos canes Actaeonis, qui deuorant ma-
posicione gistrum, id est, (aliis uerbis) sumptus venaticorum
huius Fab. canum, qui euertunt heros & depauperant; vel para-
M. Thomas siti, adulatorum, & mensarum canarumque venato-
Walleys res, ut interpretatur Ioannes Dantiscanus, Episcopus
Ord. Praed. Varmensis, aliique nonnulli, qui deuorant suos ho-
moralitate spites & exedunt. Excipe mihi etiam canem D. de Lau-
huius loci li- may, qui magistrum momordit, & rabie, ut fertur, ex-
tera H. tinxit. Caestis tortor, ad castigandum illum cruer-

rum illum sacerdotum & seruatorum Dei caruificem, vltimis hisce nascentibus & gliscentibus in Belgio rumultibus. Hæc inquam excipe, & alia pauca exempla. Nunquam enim canis mutauit herum tanto affectu, vt mordicus aggredereetur Dominum priorē, ac læsurus inuaderet, sed recurrit ad ipsum, alludens quasi memor beneficij, & seruitutis prioris. Sed heu, homo semel à Deo ad Diabolum deficiens, deserta Ecclesia, sequutus synagogam Saranæ, vel Paganismum, vel Iudaismum, vel Turcismum, vel Caluino-turcismum, aliam ve hæresim, non promptum fuerit dicere quantum contra Deum & Ecclesiam bellum vigeat, insilit in guttur sacerdotum, quam primum adspexerit, blasphemis, profanationibus, sacrilegijs omnia sacra inuadit. Quis vnquã exercitus tam perfidum habuit, tam ordinum suorum desertorem, hostem adeo cruentum, adeo infestum primis partibus, quam fuit Iulianus Apostata, Christo & Ecclesiæ? Quis vnquam Philosophus stylum magis acuit, quis vnquam linguam magis obdurauit ad maledicta, sibi uersionemque sectæ quam prius aliquando tenebat, (vt Aristoteles aliquando Platonem, & Academias securus) quam Apostata Lucianus, Sophista Samosatenus, contra Christianos? Qui vnquam transfugæ tantas fecerunt strages & vastitates suis olim amicis, quam hodie Lutherus, & alij excueullati monachi? qui cappam abiecerunt, & habitum sacrum proculcarunt, & Breuiarium remiserunt monasterijs, Clero ac sacerdotali ordini, quem aliquando in Ecclesia Catholica habuerunt. Quis vnquam rebellis & seditiosus miles, tam hostiliter desertam & aburaram inuadit partem, quam hodie Christiani Apostata ac renegati apud Turcas, quorum flos ac robur militiæ Ienitsari sunt, tanquam Romanorum Triarij, neruus totius belli & masculi quasi vigorque Imperij Tyrannici. *Filij filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant.

Tob. i. Occiderunt Regem filij ipsius.

Quid. lib. 3. Metam.

Quid.

Volater.

*Vellet abesse quidem, sed adest, vellet q; videre,
Non etiam sentire canum fera facti & suorum:
Vndiq; circumstant, mersisq; in corpore rostris,
Dilacerant dominum, falsi sub imagine cervi.*

Psal.

Ah magnus Christianorum pudor, magni-
fortunium! quod illi qui olim mallei & flagella erant
Mahometismi, iam ipsis gladij sine & scuta. *Comme*
Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Auis
forte Erypum dicere voluit, qui fluxus habet & re-
fluxus, tam notabiles, fac Domine v; transfugæ illi, &
Apostatæ ad Turcas, laudabili fluxu ad nos reuer-
tantur vt audiant & exaudiant singuli vocem tuam.

Actor.

*Ouid. 3. Me
tam.*

*Ego sum Iesus Nazarenus quæ tu persequeris, aut omnes
simul. Actæon ego sum: Dominum cognoscite vestrum.*

Donet hoc Deus per gratiam suam, idq; celeriter,
vt sanguis Christianus, *in se*, aut *cõtra se reuerfus*, velus
de Christiano in Turcam, fiat tãquam dira Turcico-
rum viscerum colica, tãquam fudes in latere, tanquã
lancea in corde, vt cadant, cum non cessent minari
perdere Christianos. O si quis posset reducere illos
abductos, & apostatas, sperarem totam illam tyran-
nidem, ita toti Christianitati imminentem, breui le-
thalibus vulneribus conficiendam. *populumq; poten-
tem In sua victrici conuersum viscera dextra.* Arbitror
præcedentem Regem Henticum Quartum, huic rei
diligenter intendisse: nescio quis eum tam cito spiri-
tus abstulerit? Spero gloriosum ipsius germen Lu-
douicum 13. perfecturum imperfecta. Contingeret hoc
plane (quantum opinor) si præfagia & vota meava-
lent quicquã, & si omnes pariter primũ studeremus
imitari tam speciosam Prodigij nostri cõtra se rebel-
lionem, ac subtrahere quam primum pedem ex ciui-
tate Satanæ ad ciuitatem Dei: vt in posterum bellum
geramus contra sensualitatem, expellentes omnem
verustatem, omnes mores malos. Hæc via Regia di-
lectissimi, qua Apostatas Turcarum ad nos reduca-
mus; si scilicet ipsi primum simus desertores Diaboli,
& mudi, rebelles nostræ carni & sensualitati, cui eheu
tam diu, tam obstinate militauimus, & ex hoc fiamus
fideles

fideles milites fortes, & strenui pro Christo Iesu, & civitate Dei. *Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliasset.* Deus omnibus nobis hanc faciat gratiam, Amen.

CONCIO DECIMA.

- 7. *Ei: εἰς τὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.*
- 7. *In se autem reuersus, dixit.*
- 7. *Quumque ad se redisset, ait.*

Græca.
Vulgata.
Syriaca.

ARGVMENTVM.

- Dicemus hodie.
- 1. *Duas habemus imperfectiones, Diuina constantia contrarias, qua in Prodigio nostro non fuerunt.*
 - 2. *Duo requisita ad faciendam poenitentiam, qua in nostro fuerunt Prodigio.*
 - 3. *Virum aliquando liceat deserere patres.*

A V E.

I.

Duas habemus imperfectiones, diuina constantia contrarias, qua in nostro Prodigio non fuerunt.



NEMO opinor Charissimi adeo rudis, adeo nouus in disciplina morali est discipulus, qui ignoret virtutem medium tenere inter duo extrema, ex diametro opposita, & quod nihilominus affinitas & cognatio quædam sit inter extrema ista & medium. Duo dixi: mediocritatē & cognationē seu affinitatem. Pro mediocritate videte quid adferā. Horat. Ep. 18. lib. 1. *Virtus est medium vitiorum, & vniq; redactum. Sic Aristoteles virtutes omnes dicit esse mediocritates, & (ut ita dicā) medietates.* Arist. lib. 1. Mag. moral. c. 24. *Virtus est habitus animi iudicio susceptus in mediocritate positus, ea qua nos attingit, rationeq; sic definita, ut prudens prescripserit q. d. quia mediocritas quoad nos incerta esse potest, volo eam à Prudente tanquam à regula prescribi.*

Ibi